



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 724. Quibus competat beneficium Falcidiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

de legat. 3. L. unic. §. ubi autem. c. de caduc. toll. Non tamen hæc accrescentia locum habet, dum conjunctio est solium legalis, hoc est, inducta ex necessitate legis etiam si testator non conjunxerit verbis. neque dum unus ex legatariis acceptavit & postea repudiavit; tunc enim portio illa repudiata non accrescit alteri collegatario, nisi in usufructu legato pluribus; tunc enim, etiam si post additionem quomodocunque deficiat, etiam per mortem in uno, accrescit sociis, & non redit pars illa ad dominum proprietatis, L. 1. §. interdum. ff. de usufruct. quam accrescentiam legati usufructus locum habere ait de Lugo, quando conjunctio est legalis per l. 1. §. 1.

§. Resp. Secundò: decrementum legatorum eis obventiens post conditum testamentum, non secus ac incrementum, spectat ad damnum legatarii, ac consequenter legata res cum hoc detrimento est eidem præstanda. sic legata vineæ, si post modum testator auferat vites, fundus adhuc debetur & præstandus legatario. idem est de area, cui domus inædificata, legata, dum ea ex post per testatorem tollitur, aut etiam exiit de Lugo. l. c. n. 239. & sic in genere loquendo; si legatum non in totum perit, pars adhuc superstes peti potest, & est præstanda. L. 22. l. 63. ff. de legat. 1. Sic si legato grege omnes oves perierint excepta unâ, hæc adhuc vindicari potest. cit. l. 22. nisi superstes tantum sit accessorium, principali pereunte illud non est præstandum. Lauterb. l. c. §. 54. Re verò certa propria testatoris in specie legata citra hæredis culpam tota pereunte, damnum est legatarii; idè quod nihil ei præstandum. Si tamen non res certa in specie, sed quantitas vel res in genere legata perit, distinguendum ita, ut, si legatum restrictum ad res proprias legantis. v. g. lego unum ex equis meis: uno ex illis pereunte, legatum non extinguitur, sed adhuc præstandum alter ex iis; secus, si omnes perierint. Sin autem sic restrictum non est, sed simpliciter dictum est: Lego Titio equum, etiam si omnes equi legantis perierint, legatum manet & præstandum est. L. 30. §. 5. ff. ad leg. falcid. Lauterb. l. c. Et hæc, si citra dolum & culpam hæredis personarumque legato oneratarum res legata perierit; si enim intercedente earum dolo aut culpa (intellige, etiam levissimâ; ab his enim personis ob favorem ultimæ voluntatis etiam summa diligentia ad hoc, ut legatarius legatum accipiat, exigitur. L. 47. §. 5. l. 108. §. 12. ff. de legat. 1. Lauterb. l. c. §. 53.) jactura rei legatæ acciderit, damnum ab iis relatiendum. L. 1. c. comm. de legat. Lauterb. l. c. adeoque si aliter fieri nequit præstanda æstimatio legati. Idem est, si mora culpabilis hæredis præcesserit casum fortuitum. cit. l. 47. §. fin. mora namque juxta L. 91. §. 3. ff. de V. C. continuat obligationem. Lauterb. §. 34. in fine. addens tamen ex cit. l. 43. hanc limitationem: modò res confestim tradita apud ipsum legatarium non fuisset peritura.

Quest. 722. An & qualiter legata præstanda sine diminutione.

Resp. Independentè à voluntate testatoris legata ab hærede sine diminutione necessario præstanda ab hærede est. quin & non tantum posse, sed & debere testatorem, ubi multo ære gravatus, vel quia plura in bonis se habere putans, supra vires gravavit hæreditatem, legatis illis detrahere; ac ita cum dicta detractione ab hærede præstanda, est quoque extra dubium. quo verò ordine & proportionè ea legata solvenda ab hærede,

ubi eam detractionem non fecit testator, videri potest apud de Lugo. de 7. §. 7. Tom. 2. d. 20.

Quest. 723. Falcidia quid sit, & qualiter per eam legatis detrahatur.

Resp. Falcidia (cujus nomine etiam quandoque veniat Trebelliana, ut Gail. L. 2. obs. 138. cum Gl. in Aub. Unde si parens. c. de inoff. testam. V. falcidia; qualiter tamen ab ea distinguatur, constat ex dictis supra de Trebelliana constabitque magis ex dicendis) sumitur quandoque pro ipsa parte bonorum detracta, quandoque pro lege, vi cuius sit hæc detrahitio. Accepta in primo sensu, est quarta pars bonorum testatoris post mortem illius deducto ære alieno & expensis funeris residuorum, hæredi ultra dodrantem, hoc est, novem uncias seu tres partes bonorum gravato legatis debita, & ab eo ex iisdem legatis detracta, quantum necesse ad eandem quartam partem ei illam servandam. Sumpta in secundo sensu est lex (accipiendo nomen legis non in strictissima, sed latiore significatione, quâ comprehenduntur Plebiscita & sanctiones; quippe inducta & lata à plebe, authore Publio Falcidio, Tribuno plebis, à quo, & non à falce, ut perperam quidam, nomen accepit) quâ restringitur libertas legandi ultra dodrantem, concediturque hæredi gravato ultra dodrantem facultas quadrantem bonorum subtrahendi legatis sibi que retinendi. idque inventum, ne, ut alias fiebat, hæredes solo nomine honorati, hæreditatis onera portantes, nullo vel modico lucro percepto, hæreditatem repudiarent; atque ita elogia ultima & testatorum voluntates destituerentur, iis intestatis decedentibus. uti hæc habentur in princ. Inst. de leg. falcid. & L. 1. ff. eod. pro quorum ulteriore declaratione servient sequentes quæst.

Quest. 724. Quibus competat beneficium falcidie.

Resp. Concessa facultate deducendi quartam partem consulitur regulariter omnibus & solis hæredibus directis; sive sint liberi (nempe sub conditione vel in diem gravati, ut Lauterb. in ff. ad leg. falcid. §. 4. cum Carpz.) seu sui, sive sint extranei. Muller. in struv. ff. ad leg. falcid. th. 3. lit. a. sive hæredes sint scripti in testamento; sive à lege ab intestato vocati. Licet enim ab initio lex falcidia tantum loquebatur de successione testamentaria; quia eo tempore legata tantum relinquebantur testamento; postea verò constitutione D. Pii extensa ad hæredes ab intestato. L. 18. pr. ff. ad leg. falcid. & transmittitur ad hæredem, licet nondum acceptata. L. 10. c. eod. & ibid. Brunem. Carpz. p. 3. c. 14. def. 35. Christin. vol. 4. decs. 55. num. 8. Lauterb. l. c. Item nihil refert, sive institutus, sive substitutus; sive institutus in partibus æqualibus, sive in inæqualibus. Muller. l. c. Competit quoque dicta facultas Fisco, si ei deferaatur hæreditas. juxta L. 2. c. ad leg. falcid. junctâ L. 49. ff. de jur. fisc. Lauterb. l. c. Unde jam ab hoc beneficio detrahendi falcidiam excluduntur legatarii & fideicommissarii universales, rogati restituere totum legatum, qui nihil vi hujus legis detrahere possunt. L. 1. §. 19. l. 28. §. 2. ff. ad leg. Trebell. L. 17. ff. ad leg. falcid. ubi expressè: nunquam legatarius utitur L. Falcidie beneficio. Struv. in ff. ad legat. falcid. th. 3. lit. d. Lauterb. l. c. §. 6. quia, ut Idem, in iis cessat periculum restituendæ & relinquendæ ab hærede hæreditatis. Quod tamen limitandum: nisi hæ-

res fiduciarius, etiam tota substantiâ exhaustâ legatis, quartam falcidiam non subtraxerit; animo eam donandi legatario vel fideicommissario. in hoc enim casu legatarii rogati restituere suas portiones, detrahere possunt falcidiam, non quidem ex sua persona seu ut legatarii; sed ex persona hæredis ex præsumpta voluntate testatoris. *cit. l. 1. §. 19. Fachin. l. 5. contro. 7. Lauterb. l. c. idem dicit Muller. ad Stru. tit. th. 3. lit. d. citans Perez. in cod. ad leg. falcid. num. 4.* de legatario jam passô falcidiam, si obligetur ad fideicommissa præstanda sicut hæres quod possit detrahere falcidiam, non ex sua persona, sed ex præsumpta voluntate defuncti. Idem quoque est de fideicommissario, cui hæres officio Judicio coactus, & ex se invitatus adire hæreditatem, eamque totam restituit is enim, cum receperit omnem in se periculum ex hæreditate metuendum, repræsentans hæredem fiduciarium, omnia facere potest, quæ fiduciarius; adeoque beneficio legis falcidiæ uti contra omnes legatarios, quorum legatis gravatus fiduciarius, & ex iis detrahere falcidiam. *L. 63. §. 11. ad SC. Trebell. Lauterb. cit. §. 6. in fine. Muller. cit. th. 3. lit. e.* Quod si plures simul hæredes instituti, & omnes simul gravati legatis solvendis, apud omnes manet quarta falcidia, inter omnes dividuntur pro rata portionis hæreditariæ, in qua instituti. de Lugo, *de f. & p. Tom. 2. d. 24. num. 298. Lauterb. in ff. ad leg. falcid. §. 2.* cum communi, Si autem ex pluribus unus solus esset gravatus legatis, is ex parte hæreditatis in qua institutus, potest quartam partem illius partis detrahere ex legatis à se solvendis, & sibi retinere. de Lugo. *l. c.* Si singuli hujusmodi partiarum hæredes gravati legatis, & nominatim unius pars exhausta legatis, poterit is ex legatis sibi incumbentibus detrahere quartam partem partis hæreditatis sibi assignatæ, cæteris cohæredibus, quorum partes legatis non exhauriuntur, nihil ex iis detrahere valentibus. Lauterb. *l. c.* quid tamen sit, dum quis institutus in re certa, quæ legato exhauritur, vide Eundem. §. 7.

Quæst. 725. In ordine ad detrahendam falcidiam quænam bona computanda, & quæ nomine æris alieni & sumptuum funeris deducenda veniant.

1. **R** Esp. Ad primum: ea præcisè quantitas bonorum spectanda, quæ post mortem testatoris detracta ære alieno & expensis funeris adfuit. §. 2. *Inst. de leg. falcid.* sive dein ante aditam hæreditatem aucta, sive diminuta. Lugo. *l. c. n. 198. Lauterb. l. c. §. 15.* Secus tamen est, si quid accesserit hæreditati ratione facti præcedentis, aut obligationis jam à defuncto contractæ. Lauterb. *ibidem.*

2. **R** Esp. Ad secundum: æs alienum hic sumitur in sensu lato, ut comprehendat omne illud, cuius præstandi necessitate defunctus obstrictus fuit tam pecunias quàm res alias & actiones ære æstimandas. Lauterb. §. 16. Sic nomine æris alieni venit dos. *L. 85. ff. ad L. falcid.* Item quæ testator debet ratione administrationis tutelæ. *L. 95. §. 2. ff. eod.* Item ex administratione bonorum uxoris. *ibidem.* Item quæ defunctus hæredi tempore mortis debebat hæredi. *L. 15. §. 3. ff. l. 6. c. eod.* Item omnes res alienæ in hæreditate repertæ quasi æs alienum sunt deducendæ, etiam si testator sit miles. *L. 7. c. ad l. falcid.* ita ferè Muller. *ad ff. ad l. falcid. th. 4. lit. β.* detrahendi sunt quoque servi, quibus testa-

tor libertatem donavit favore libertatis; cum sint pars & loco æris alieni, nec hæredi profunt. Ad expensas funeris spectat quoque, si vir uxoris funus curaverit, ut hæres sumptus impenderit. *L. 6. eod.* eò quòd favor religionis & sepultura tantus sit, ut impediens sumptus in illam omnibus creditoribus sit præferendus. juxta *L. 45. de religiof. & sumpt. fun.* Secus tamen est de impensis in ædificationem monumenti, nisi species monumenti sit modica; cum ædificatio ista non sit ita necessaria quàm procuratio funeris. *L. 2. ad l. falcid.* Lauterb. §. 16. Muller. *l. c. lit. y.* quem vide de his & similibus computandis in falcidiam agentem pluribus *lit. d.* Illud hic notandum, quòd illud, quòd testator præter hæreditatem specialiter legavit hæredi non computetur in falcidiam sed conferatur ad quantitatem omnium bonorum, quorum pars quarta falcidiæ nomine ab hærede detrahenda. Reiffenst. *b. 1. num. 468.* juxta *L. 91. ff. ad L. falcid.*

Quæst. 726. Qualiter legata excedentia dodrantem subjiciantur falcidiæ seu dictæ detractioni.

R Esp. Legata (idem est de donatis causâ mortis quartæ falcidiæ præjudicantibus non tamen de donatis inter vivos, quæ absolute non subjacent illi detractioni; nisi tamen sint donationes inter vivos, quæ aliàs invalidæ morte donantis confirmatæ & sic jure ultimarum voluntatum subsistentes, ut Lauterb. *l. c. §. 10.*) & in specie etiam legatum ususfructus omnium bonorum (quod non minus quam alia legata falcidiæ subjacet, ut Gail. *L. 2. obs. 143. num. 5.*) cum proportione eidem subjacent, in quantum nimirum excedunt leges falcidiæ seu tres partes bonorum hæreditariorum, ita ut vi dictæ legis pars quarta illorum hæredi integra relinquenda. Ut verò ex legatis excedentibus dodrantem detraharur falcidia, regulariter nihil refert, cui ea facta sint, sive Principi aut Reip. (neque enim dignitas legatariorum obstat legi falcidiæ. *L. 1. §. 5. ff. ad L. falcid. & ibi Brunem. & cum eo Lauterb. §. 8.*) aut etiam parentibus, ut Idem juxta *L. 28. ff. eod.* nisi tamen cohæredibus prælegata. *L. 17. ff. eod.* vel judicialiter relicta, ut cum Carpz. Lauterb. Qualiter tamen etiam exceptionem recipiant facta ad pias causas, dicitur. *quæst. seq.* Porro ut sciatur an legata dodrantem excedant, quid quantumve hæres detrahere possit, necesse est, ut tam de hæreditatis, quàm de legatorum quantitate constet, antequam ad falcidiæ detractionem veniatur. Fit autem hæc computatio vel privatim inter hæredem & legatarios amica conventionem; vel adhibito æstimatore & arbitrio falcidiæ rerum legatarum pretiis, non ex affectu aut singulorum utilitate, sed ex veritate rei juxta communem locorum & præsentis temporis rationem consideratis juxta *L. 42. 62. 63. ff. ad L. falcid.* ita ferè Lauterb. *l. c. §. 14.* ubi etiam in specie, qualiter in æstimatione alimentorum legatorum habenda sit ratio ætatis.

Quæst. 727. In quibus casibus falcidia locum non habeat.

1. **R** Esp. Beneficium falcidiæ non habet locum primò ex persona hæredis, seu illud amittit hæres omittens facere inventarium juxta formam à legibus præscriptam; cum ob præsumptam fraudem & malitiam, quasi hæres omisso inventario, jam tantum ex hæreditate subtraxerit, quantum vallet falcidia, ita cautum sit per leges, nimirum in

Auth.